

Rhenum advectâ. Ibi per hyemem Carolus substitit, & Pascha celebravit, quantumque Ludam Natali Christi, tantum Eresburgum Paschate decoravit: utrumque verò locum Carolus intra diœcesin Paderbornensem descripsit; quæ vel inde illustrior etiam, quòd prima per Saxoniam hyberna Rex apud nos delegerit. Sed hoc ipso anno, qui Saxoniam tandem optatissimus illuxit, multo illustrior Paderborna ex synodo, quam Carolus indixit. Nam postquam per hyemem cum exercitu omnem prope Westfaliam regionem vastando peragrasset, terrore per rebellem maximè gentem circumlato; nec ulla Saxoniam pars superesset, quæ imperium dominantis Regis detrectare auderet: Carolus Paderbornæ tam Episcopos & Franciam proceres, quam Saxoniam gentis primores (qui ex Satrapis de nobilitate censebantur) omnemque populi senatum Paderbornæ convenire iussit; quò & ipse regiâ maiestate & fulgore exercitus conspicuus accessit. Hac in Synodo juratâ fide, gens omnis imperio Francico se submisit, & libertatem Christianam religionis constanter recepit. Tum Carolus, quos evocârat Episcopos, suis sedibus cum potestate regiâ imponere, alias diœceses circumscribere, & Pastores evocare. Atque hoc anno ab hac synodo post longam discussam belli tempestatem Osnabrugensis Episcopatus Wihonem, Bremensis Willehadum ( qui jam ab exilio redux Carolum Eresburgi convenerat ) Mindensis Herimbertum, Verdensis Suitbertum, Halberstadiensis Hildegimum, Mimigardevordensis Bernardum religiosum Abbatem, aliam alios Pastores aut accepere, aut recepere. Tum & Paderbornensis Ecclesiam vicaria cura Herbipolensi Episcopo est commissa, dum de certo Episcopo provideret Carolus. Atque inde jam Episcoporum Paderbornensium res gestas cum Vicario Episcopo ordiemur. Eoque certius etiam religionis Christianam progressus trademus, quòd bellum Saxonicum intra Rhenum, Visurgim & Albim hoc anno post decimum tertium annum finitum sit. Nam etsi scriptores in trigessimum tertium annum illud extrahant; id exinde de ijs bellis accipias, quæ gessit contra Transalbianos, ac ceteras trans Albim gentes, Danos, Sorabos, Wilfos, & quotquot Sclavorum nomine censebantur barbari, infesti semper Saxonibus, qui aut Francico imperio, aut Christianam religioni se submiserant, quibuscum adeo ad extremos vitæ dies Carolo bellum fuit, Ceterum pax Saxoniam & libertas Christianam religionis magis confirmata stabilitaque Widekindi ad sacra transitu. Quam in rem Carolus hoc ipso anno, post solutam Paderbornensem synodum, transmissio per Visurgim exercitu, ad pagum Bardegau, urbemque tum nobilem in agro Lunenburgensi (quam ceteri Bardewicum dixere) profectus, ut cum Widekindo, quem inter Transalbianos apud Albionem ejus gentis ducem versari didicit, transigeret. Ibi igitur, ut Francorum annales perhibent,

Synodus  
Pader-  
born. IV.  
à Carolo  
celebrata.

Widekin-  
dus Dux  
Saxonum  
fit Chri-  
stianus.